

dicellis (fere triente) brevioribus perigonio subcampanulato, ad trientem usque 6-fido; staminibus paulo infra ostubi insertis, limbo paulo brevioribus; ovarii loculis singulis (fide cel. Kunth.) ovula 2 superposita horizontalia continentibus. — *H. lineatus* Steud. *Röm. et. Schult. Syst.* 7 p. 584. — *Bellevalia lineata* Kunth *Enum.* 4 p. 309. — Folia subplana, 2-4 $\frac{1}{2}$ lin. lata, nervosa, nervis 6 - 12 praecrassis. Stylus ovario sesquilingior. — Hab. prope Smyrnas: Fleischer. — *L.* 1548. *HYOSCYAMUS CANARIENSIS* KER. *H. varians* Visian. et *H. maderensis* Hort. certe ad unam eandemque speciem pertinent. *Conf. Flora* 1830. vol. I p. 201. et *Ind. sext. Sem. h. b. Petropol.* 1847 p. 52. — Olim sub nomine *H. squarrosi* H. Paris. cultus. M. 1566. *HYPOXIS* LIN. — Respectu earum Hypoxidis specierum de quibus in *Indice H. Petrop.* 10 p. 49 - 51. egi. interest hoc loco supplere numerum ovulorum, in singulis ovarii loculis contentorum. Qui quidem numerus se habet ut sequitur: in *Hypoxide angustifolia* 4-12; in *H. canescente* 7-16; in *H. hemerocallidea* 8-15; in *H. microsperma* 20-31; in *H. sobolifera* 4-12; denique in *H. stellipili* 10-49. In plerisque harum specierum major pars ovulorum in semina convertitur. Difficilius autem reliquis fructificat *H. sobolifera*, et omnium difficillime *H. angustifolia*. Illa exhibuit in singulis capsulae loculis semina 1-5; haec in tota capsula uno non plura. 1570. *HYPOXIS* KREBSII FISCH. *H.* foliis subensiformibus, margine lanuginosis laevibus, subtus adpresse pilosis, supra pilosis aut glabris; scapis 2-11-floris, foliis multo brevioribus; pedicellis infimis flore multo, limbi segmentis ovario plus duplo longioribus; seminibus opacis, distincte granulosis. — Folia ejusdem speciminis aut omnia supra pilosa, aut omnia supra glabra, aut folia fasciculorum exteriora

ra prioris, intima posterioris indolis. Plantis junioribus prima, vetustioribus altera modificatio propria esse videtur. Florum diameter 10 - 18 lin. Ovarii loculi 12-26-ovulati, capsulae loculi 7-15-spermi. Semina vix micantia, sub lente subtiliter quidem, sed manifesto granulosa. Alioquin haec species plane congruit cum *Hypoxide microsperma* Lallem.; quae quidem ab *H. Krebsii* distinguitur foliis supra constanter glabris et seminibus exquisite splendentibus, levissime granulosis subminoribus. — Hab. ad Prom. bon. Spei, unde cl. Krebs tubera misit. 24. *L.* 1575. *IBERIS LUSITANICA* HORT. *I. amarae* proxima atque simillima et forsitan ejus varietas est petalis violaceis et silicularum lobis minus acutatis magis approximatis styloque fere exacte parallelis. M. 1648. *IURINEA SQUARROSA* FISCH., MEY. *I.* biennis; caulibus erectis lanuginosis simplicibus monocephalis; foliis supra glabris subtus tomentosissimis margine revolutis, radicalibus pinnatipartitis: laciniis rachique linearibus, caulinis sessilibus, summis lineari-filiformibus integerrimis; calathidiis subglobosis multi-(50-80)-floris; periclinii arachnoidei squamis omnibus elongatis lanceolato-linearibus cuspidatis subpungentibus refractis; achaeniis glabris corrugatis oblongis utrinque attenuatis apice immarginatis. — Hab. in transcaucasi monte Alagäs. M. 1671. *LACTUCA ALTAICA* FISCH., MEY. *L.* foliis elongato-lanceolatis acuminatis sagittatis runcinatis dentatis integerrimisve subtus carina aculeatis v. laevibus; panicula patente; achaeniis oblongis apice submarginatis et setulosis, rostro (albo) achaenii longitudine. *L. saligna* Ledeb. *fl. alt.* IV p. 153. (excl. syn.); — *L. Scariola integrifolia* Ledeb. l. c.; — *L. saligna* robusta *Ind. quint. sem. h. b. Petropol.* p. 19. — Inter *L. Scariolam* et *L. salignam* quasi media, a priore fa-

cile distinguitur foliis elongatis illis Mulgedii tatarici quodam modo similibus, latitudine sua plerumque 4-6-8-tuplove longioribus, a posteriore achaenii rostro longe brevioribus abunde diversa. — Inflorescentia *L. Scariolae*. Flosculi in vivo fusciscenti-flavidi, in sicco violascentes. Achaenia grisea, fusco-nebulosa, alia angustiora apice obsolete vel omnino non marginata, alia latiora et apicem versus anguste sed distincte marginata; rostrum achaenii longitudine vel illo paulo brevius. — Hab. in regionibus altaicis. M.

1674. *LACTUCA AUGUSTANA* ALL. β foliis subtus ad carinam setosis. — Simillima est *L. augustanae* et certe omnibus characteribus cum illa convenit, praeter folia subtus setosa; a *L. Scariola* solum foliis indivisis distincta. Semina sub *L. Dregeanae* nomine accepta, sed ab hac jam foliis abrupte breviterque acutatis, non longe acuminatis, facile distinguitur. M.
1679. *LACTUCA SCARIOLOA* L. — *L. Pseudo-virosa* Hort. nullo characterem differt. M.
1821. *LINARIA SPARTEA* HOFFMGG., LINK. Colitur etiam sub *L. triquetrae* nomine. M.
1871. *LOTUS ODORATUS* SIMS. *Botanic. Mag. tab. 1233* et *L. suaveolens* Pers. *ench. 2. p. 354.* non differunt. Species ut videtur bene distincta, sed flores apud nos inodori. M.
1873. *LOTUS PILOSISSIMUS* POIR. in *Encycl. méth. Suppl. III p. 504*; *L. hispidus* Desf. *h. Paris. et Indic. decimi sem. h. b. Petropol. p. 52.* — *L. hispidus* DC. *Flor. franc., in Loisel. fl. gallic. tab. 16* depictus à *L. pilosissimo* floribus in umbella numerosioribus differre videtur, sed planta pauciflora (*L. pilosissimus*) per specimina intermedia in plantam multifloram (*L. hispidum* DC.), ni fallimur, transit et forsitan hae plantae sunt varietates ejusdem speciei, a *L. angustissimo* verisimiliter non satis distinctae. M.

1911. *MALCOLMIA AFRICANA* R. BR. *HESPERIS JASA* HORT. eadem est planta. M.
1918. *MALOPE GRANDIFLORA* H. ANGL. *M. foliis suborbiculatis dentatis, superioribus sublobatis; stipulis sublinearibus; pedunculis axillaribus unifloris; involucri phyllis (plerumque) suborbiculatis obtusis; calyce semiquinquefido.* — *M. trifida* Sweet. *brit. flow. gard. tab. 153!* (excl. syn.), *Salzm. pl. exsicc. afric.* — *M. trifida* Cav. differt foliis ellipticis latitudine sua longioribus, involucri phyllis acuminatis, calyce ultra mediam partem fisso, et haec planta forsitan est varietas *M. malacoidis*; vidimus specimen sardinicum, a cl. Moris s. n. *M. malacoidis* missum, quod omnino intermedium est inter *M. malacoides* et *M. trifidam*. — Folia in *M. grandiflora* plerumque omnia suborbiculata, longitudine sua fere latiora, summa interdum ovata, omnia dentata, indivisa vel plus minus distincte lobata, obtusa vel acuta. Pedunculi uniflori, folio longiores. Involucri phylla saepissime cordato-suborbiculata, obtusa, interdum subovata, acutiuscula. Calyx vix usque ad mediam partem quinquefidus, saepius minus profunde fissus. (In *M. malacoides* et *M. trifida* calyx ultra mediam partem profunde divisus est.) Corolla magna. Petala apice plerumque oblique rotundata v. truncata. — Hab. in Mauritania, prope Tanger. (Salzm.) ☉ M.
1926. *MALVA MAURITANICA* SPR. Nullos invenimus characteres ad distinctionem *M. cordifoliae* H. Berol. a *M. mauritanica*; a *M. sinensi* Cav. (*M. mauritanicae* varietate), in hortis saepissime pro *M. mauritanica* culta, plurimis, sed nimis levibus notis distat. Occurrit in hortis etiam sub falso *M. cordistipulae* nomine. M.
1930. *MALVA PARVIFLORA* L. In hortis saepe sub *M. microcalycis* nomine vagat. M.